

TRIBUNALE DELLA ROTA ROMANA - *Reg. Flaminii seu Bononien.* - Nullità del matrimonio - Grave difetto di discrezione di giudizio - Incapacità di assumere le obbligazioni essenziali del matrimonio - Esclusione della prole - Sentenza definitiva - 24 luglio 1997 - Stanckiewicz, *Ponente* (\*).

**Matrimonio - Consenso - Difetto di discrezione di giudizio - Incapacità ad assumere gli obblighi essenziali - Distinzione dei capitoli - Abusi sull'incapacità relativa e l'incompatibilità di caratteri - Esigenza di una severa anomalia psichica.**

**Matrimonio - Iuribus - Ammissibilità della trattazione « aequae principalis » dei capitoli d'incapacità consensuale e di esclusione del consenso.**

**Matrimonio - Consenso - Esclusione della prole - Esclusione temporanea.**

*Si è discusso molto se il can. 1095 parla di un'unica incapacità o piuttosto di tre incapacità diverse. Anzi, alcuni sostengono che il capo sull'incapacità ad assumere sia in se stesso multiplo, secondo i diversi oneri del matrimonio. Tuttavia, tutti i capi sull'incapacità consensuale possono ridursi a questi tre, che rimangono come tre specie legali diverse e autonome.*

*Il difetto di discrezione di giudizio non è lo stesso dell'ignoranza o misconoscimento degli obblighi matrimoniali in un soggetto per altro capace. Neanche bisogna confondere il difetto di discrezione di giudizio con la mera inavvertenza o imprudenza, che inducono in un soggetto capace una semplice trascuratezza circa quegli obblighi o almeno dimostrano una qualche leggerezza nell'agire. Il difetto di discrezione deve essere sostanziale, cioè grave, in rapporto agli obblighi e diritti essenziali del matrimonio. Perciò, l'incapacità discrezionale implica dei difetti sostanziali nelle facoltà psichiche — conoscitiva, critica, estimativa, deliberativa ed elettiva — riguardo alla donazione ed accettazione di quei diritti ed obblighi. Non si può richiedere un perfetto equilibrio psico-*

---

(\*) Vedi nota di P. GEFAELL alla fine della sentenza.

*logico o una piena maturità affettiva e personale: ciò implicherebbe limitare il matrimonio a pochissimi fedeli.*

*I principali caratteri dell'impotenza dirimente non possono essere applicati per analogia all'incapacità psichica ad assumere gli obblighi essenziali del matrimonio. Il can. 19, infatti, vieta l'applicazione dell'analogia per le leggi irritanti ed inabilitanti o per quelle che limitano il libero esercizio dei diritti, come quello di sposarsi. Per questo motivo, non si può estendere per analogia la caratteristica della relatività. Questa pretesa incapacità psichica relativa non sarebbe altro che certa incompatibilità psicologica tra i coniugi, per diversità di caratteri, senza nessuna perturbazione psicologica grave nei contraenti. Ma, secondo i principi dell'antropologia cristiana, la causa di natura psichica deve identificarsi con una severa specie di anomalia in uno o in entrambi i contraenti.*

*L'incapacità psichica può essere trattata in modo ugualmente principale insieme all'esclusione della prole, perché non tutte le specie di incapacità psichica comportano l'incapacità di fare un atto umano.*

*Nell'esclusione temporanea della procreazione si deve investigare se la procrastinazione della prole limita lo stesso diritto coniugale (anche soltanto «ad tempus») oppure si tratti soltanto di un abuso temporaneo che lascia integro questo diritto. L'esclusione temporanea della prole «per se» e direttamente non inficia il consenso matrimoniale. Per provare l'esclusione non basta la confessione del simulante.*

FACTI SPECIES. — 1. Gratianus S., hac in causa actor, cum triginta annos natus esset et munere investigatoris universitarii fungeretur apud Facultatem Scientiarum Mathematicarum, Physicarum et Naturalium Universitatis B., anno 1983 allectus est venustate discipulae Marinae B., novem annorum minoris natu, in causa conventae, eiusque familiaritatem atque amorem sibi conciliavit.

Ambo mutuo amore fragrantés, iam mense iunio 1983 frequenter se visere inceperunt, dein, vergente autumno, sponsalia sollempniter inierunt.

Anno insequenti, postquam Marina e gravissimo morbo ad bonam valetudinem revertit et nosocomium dereliquit, hospitio Gratiani usa est apud eius diaetam B. Iidem igitur de communi consilio, utriusque tamen familiaribus inscientibus, consuetudinem concubinalem instauraverunt, spe ducti fore ut vinculo iugali quoque se protinus obstringerentur.

Deinde, cum omnia ad nuptias parata sunt, iuvenes legitimo fœdere sibi iuncti sunt, die 8 aprilis 1985, in paroeciali ecclesia Beatae

Mariae Virgini a Sacratissimo Rosario dicata in pago v. d. «T. di R.», intra fines dioeceseos S., ubi sponsi parentes ac familiares habitabant.

Itinere voluptuario Lutetiam Parisiorum peracto, novi coniuges in viri diaeta vitam coniugalem prosecuti sunt.

Convictus coniugalis, nulla prole recreatus, initio pacifice processit. Vita tamen communis, ingravescentibus difficultatibus, satis cito in pessum ivit.

Interea uxor affectum suum in alium virum coniecit neque maritum de amoris extinctione celavit. Ipsa quoque mense novembri 1988 domum coniugalem deseruit atque actionem separationis promovit, quam Tribunal Civile, de utriusque consensu, die 10 octobris 1989 ratam, habuit.

2. Ut statum libertatis in foro canonico recuperare posset, vir actor matrimonium, suum nullitatis accusavit apud Tribunal Ecclesiasticum Regionale Flaminium, die 22 iunii 1990, ex sequentibus capitibus nullitatis: «1) Da parte di entrambi, a norma del can. 1095, 2°-3°. 2) A norma del can. 1101, 2° per esclusione della prole da parte della donna».

Aditum Tribunal primae instantiae, admissio libello die 23 iulii 1990, hanc dubii formulam. die 1 octobris 1990 statuit: «Se consti della nullità del presente matrimonio per incapacità di entrambi i contraenti a contrarre il matrimonio; e in subordine, per esclusione della prole da parte della donna convenuta in causa».

Deinde coram eodem Tribunali ampla causae instructio rite expleta est per auditionem partium, testium necnon per acquisitionem relationum peritalium.

Sententia primae instantiae, die 16 iulii 1992, ad dubia concordata ita respondit: «Consta la nullità del matrimonio in esame per incapacità di ambedue i contraenti ad emettere un valido consenso ai sensi del can. 1095, 2°-3° ed è fatto divieto ad ambedue le parti, ossia tanto all'attore S. Graziano quanto alla convenuta B. Marina di passare ad altre nozze senza avere consultato l'Ordinario del luogo. Non si fa luogo a procedere in ordine all'esclusione della prole da parte della donna convenuta; essa, comunque non risulta provata».

3. Tribunal Ecclesiasticum Regionale Trivenetum, pro recipiendis appellationibus competens, ad quod omnia acta primi gradus una cum sententia affirmativa transmissa sunt, decreto die 4 martii

1993 lato, decisionem primae instantiae ratam non habuit, sed causam ad ordinarium examen novi gradus admisit atque declaravit se esse paratum «ad accettare eventuali richieste istruttorie che il Patrono di parte attrice desideri proporre».

De capite exclusi a conventa boni prolis Tribunal edicere non valuit, non solum ob appellationis defectum, sed potissimum quia, ut Iudices statuerunt, «in base al can. 1682, a noi non è consentito esprimerci in merito».

Deinde coram Tribunali alterius instantiae dubium concordatum est, die 31 martii 1993, hac sub formula: «Se la sentenza affermativa di primo grado debba essere o no confermata, cioè se consti della nullità del presente matrimonio per incapacità da parte di entrambi i contraenti di emettere valido consenso ai sensi del can. 1095, nn. 2-3». Caput autem exclusionis boni prolis ex parte mulieris, nemine postulante pro illius resumptione, formulam dubii ingressum non est.

Sed tamen, actoris Patrono instante, instructio suppletiva peracta est, in qua partes in causa et duo testes depositiones suas iterum reddiderunt. Praeterea nova relatio peritalis, ex officio confecta, actis causae rite acquisita est.

4. Tribunal secundi gradus, processu rite concluso, die 29 decembris 1994 sententiam negativam tulit, qua ad dubium concordatum ita respondit: «La sentenza di primo grado deve essere riformata, perché non consta della nullità del presente matrimonio per incapacità di emettere valido consenso, a norma del can. 1095, nn. 2-3, da parte di entrambi i contraenti». Appellante actoris Patrono, causa delata est ad Rotae Romanae Tribunal.

Instante quoque eodem Patrono, instructio suppletiva expleta est, in qua partes iam tertio depositiones reddiderunt. Itemque nova relatio peritalis ex officio confecta est.

Vivis conclusionibus negativis peritiae, Patronus actoris in sua scriptura defensionali nonnisi exclusionem boni prolis ex parte mulieris conventae pertractavit.

At, deficiente formali renuntiatione capitibus de partium incapacitate discretiva et assumendi essentielles matrimonii obligationes, Nobis onus incumbit respondendi ad omnia dubia concordata die 1 iunii 1995, et confirmata iterum die 9 novembris 1995, iuxta sequentem formulam: *An constet de matrimonii nullitate in casu: 1) ob gravem defectum discretionis iudicii et incapacitatem assumendi es-*

*sentiales matrimonii obligationes in utraque parte (can. 1095, nn. 2-3); et subordinate: 2) ob exclusum bonum prolis ex parte mulieris conventionae (can. 1101, § 2).*

IN IURE. — I) *De incapacitate psychica. 5.* Quoniam matrimonium facit partium consensus personalis et irrevocabilis inter personas iure habiles legitime manifestatus, qui nulla humana potestate suppleri valet (can. 1057, § 1), contrahentes tempore celebrationis nuptiarum naturali capacitate psychica praediti sint oportet, praestandi nempe consensum matrimonialem, seu actum voluntatis mutuae traditionis et acceptationis in ordine ad constituendum matrimonium (can. 1057, § 2), hoc est totius vitae consortium, indole sua naturali ad bonum coniugum atque ad prolis generationem, et educationem ordinatum (can. 1055, § 1).

Capacitas psychica vel consensualis ad perficiendum. « amoris coniugalis foedus » per « consciam ac liberam electionem », qua « vir et mulier in se recipiunt vitae amorisque communitatem intimam, a Deo praestitutam » (Ioannes Paulus II, Adh. ap *Familiaris consortio*, 11), psychicas agendi facultates ad consensus formationem et manifestationem necessarias ex parte eorum requirit. Definite autem capacitas consensualis in unoquoque contrahente tempore celebrationis nuptiarum praesupponit: a) sufficientem usum rationis ad consensum actu humano libero et conscio manifestandum (cf. cann. 1095, n. 1; 1104); b) debitam iudicii discretionem ad iura et officia matrimonialia essentialia mutuo tradenda et acceptanda (cf. can. 1095, n. 2); c) psychicam idoneitatem assumendi obligationes matrimonii essentialia (cf. can. 1095, n. 3).

6. Quodsi haec elementa constitutiva capacitatis consensualis ex integro vel ex parte tantum nupturientes defecerint in nuptiis ineundis, consensus matrimonialis ab eis valide praestari nequit. Nam eiusmodi defectus incapacitatem psychicam contrahentium efficiunt, sicut praescriptum can. 1095, principia iuris naturalis recolens, expresse declarat: « Incapaces sunt matrimonii contrahendi: 1) qui sufficienti rationis usu carent; 2) qui laborant gravi defectu discretionis iudicii circa iura et officia matrimonialia essentialia mutuo tradenda et acceptanda; 3) qui ob causas naturae psychicae obligationes matrimonii essentialia assumere non valent ».

Hucusque tamen disceptatur de quaestione systematice digesta, utrum in praedicto canone de unica tantum incapacitate agatur, an

potius, sicut quidam probant, de tribus incapacitatibus. Immo, si de idoneitatis defectu ad obligationes matrimoniales assumendas quaeratur, sunt qui putent plures quoque incapacitates dari relate ad determinatas matrimonii obligationes essentielles. Quidquid tamen hac in re dici potest, certum remanet tres species legales, incapacitatem inducentes, ad tria quoque generica nullitatis capita reduci (cfr. U. NAVARRETE, *Capita nullitatis matrimonii in Codice I.C. 1983: Gressus historicus versus perfectiorem ordinem systematicum*, in *Justus Judex*, Essen 1990, p. 267).

Sed unaquaqueque incapacitatis species, lege ecclesiali sancita necnon iurisprudentiae ac doctrinae canonicae dictaminibus locupletata, autonomiam iuridicam retinet ratione non habita formalis denominationis, quam forte habeat, utrum haec a specifica incapacitate proveniat, ut puta incapacitas discretiva, an ex criterio legali verbis ipsius legis nuncupetur, ut puta gravis defectus discretionis iudicii.

7. Incapacitas discretiva, seu gravis defectus discretionis iudicii circa iura et officia matrimonialia essentialia mutuo tradenda et acceptanda (can. 1095, n. 2), substantialiter differt a quibusdam animi statibus, qui cum defectu discretionis iudicii apparentem, tantum, similitudinem habent.

Ita enim a defectu discretionis dissident plurimum tum nescientia et ignorantia, quae vel simplicem absentiam vel carentiam debitae cognitionis iurium officiorumque matrimonialium in subiecto capaci important, tum inadvertentia et imprudentia, quae vel meram incuriam inattentionemque circa eadem iura officiaque in subiecto capaci inducunt, vel saltem agendi aliquam levitatem ostendunt.

Incapacitas autem discretiva, sicut recepta iurisprudentia tenet, peculiare defectus facultatum psychicarum implicat.

Singillatim vero incapacitas huiuscemodi nedum defectus facultatis perceptivae et cognoscitivae complectitur, praepedientes simplicem apprehensionem consortii vitae coniugalis iudicio speculativo rationis, verum etiam defectus facultatis criticae, aestimativae, deliberativae et electivae, praepedientes sive aestimationem totius vitae consortii iudicio practico rationis, sive deliberationem et liberam electionem iurium officiorumque matrimonialium essentialium, quae mutuo tradi et acceptari debent a contrahentibus (coram infr. Ponente, decisio diei 28 maii 1991: RRDec., vol. LXXXIII, p. 345, n. 5).

8. Non quilibet tamen discretionis iudicii defectus nupturientem reddit incapacem matrimonii contrahendi, verum ille tantum,

qui revera substantialis sit, seu gravis, sicut lex canonica expresse statuit (can. 1095, n. 2).

Cum vero norma ecclesialis criterio vel mensurae gravitatis ipsius defectus discretionis explicitè non caveat, non secus dum agit de gravitate in quibusdam aliis vitiis consensu, ut puta in metu (can. 1103) vel in deceptione dolosa circa alterius partis qualitatem consortium vitae coniugalis perturbantem (can. 1098), gravitas defectus discretionis ponderari solet tum in ordine obiectivo, habita nempe ratione gravitatis essentialium iurium officiorumque matrimonialium cum quibus functiones intellectivae volitivae et affectivae nupturientis debitam servare debent proportionem, tum in ordine subiectivo et personali, id est habita ratione gravitatis ipsius perturbationis, seu laesionis facultatum psychicarum, quae ad formationem consensuum matrimonialium concurrent.

Perspectis igitur elementis constitutivis discretionis iudicii, gravis eius defectus consistere potest solummodo in substantiali laesione facultatis cognoscitivae, criticae, aestimativae, deliberativae et electivae, pro rata parte cum iuribus et officiis matrimonialibus essentialibus mutuo tradendis et acceptandis, scilicet in contextu mutuae contrahentium donationis et acceptationis (can. 1057, § 2; coram infr. Ponente, decisio diei 28 maii 1991, cit., p. 345, n. 6).

9. Sed tamen mensura seu criterium gravitatis eiusdem defectus discretionis iudicii determinari nequit exaequando debitam discretionem ad matrimonium cum eximia cognitione essentialium iurium et officiorum coniugalium, cum eorum perfecta aestimatione necnon cum plena libertate interna in mutua eorum traditione et acceptatione.

Hoc enim criterio admissio, quilibet defectus discretionis iudicii, vel omnino levis, incapacitatem discretivam efficeret atque matrimonium irritum redderet.

At tunc sacramenti matrimonii celebratio paucissimis tantum christifidelibus pateret, qui modo perfectum aequilibrium psychologicum perfectamque maturitatem affectivam et personalem assequerentur. Quin etiam, in praeparatione personali nupturientium ad matrimonium, ineundum (cf. can. 1063, n. 2), animarum pastores tunc gravi tenerentur obligatione exigendi ab omnibus sponsis testimonium, valetudinis ac maturitatis psychologicae ad praecavendum nullitatem matrimonii sacramentalis hoc ex capite.

Inde, sicut tempore codificationis iuris matrimonialis prudenter argumentabatur, «ne norma laxismo indulgeat, secundum verba ca-

nonis enim defectus discretionis debet esse gravis» (*Communicationes* 9 [1977], p. 370).

Propterea causa formalis eiusmodi gravis defectus discretionis iudicii necessario vertere debet in gravem pathologiam psychicam ex parte contrahentis, cum haec tantum graviter laedere possit in eo operationes criticas, reflexivas atque ipsam volendi facultatem.

Idque cum auctoritate apostolica Ioannes Paulus II confirmavit dum omnes Iudices ecclesiasticos monuit veram incapacitatem praestandi consensum matrimonialem recognosci posse solummodo «in presenza di una seria forma di anomalia che, comunque si voglia definire, deve intaccare sostanzialmente le capacità di intendere e/o di volere del contraente» (*Allocutio ad Rotae Romanae Auditores coram admissos*, d. 5 februarii 1987, n. 7: AAS 79 [1987] p. 1457).

10. Matrimonium tamen invalide celebrant non solum qui incapaces sunt percipiendi aestimandique iudicio practico intellectus iura et officia coniugalia essentialia, consortio matrimoniali intime inhaerentia, eaque seligendi libero voluntatis actu in mutua eorum traditione et acceptatione, verum etiam qui incapaces sunt assumendi essentialiter constitutivas huius consortii obligationes.

Lex enim ecclesialis expresse statuit incapaces esse matrimonii contrahendi, qui ob causas naturae psychicae obligationes matrimonii essentialia assumere non valent (can. 1095, n. 3). Haec quoque incapacitas in gravi tantum laesione facultatis psychicae executivae ex parte unius vel utriusque contrahentium fundari potest, ob quam vel omnes vel quaedam tantum obligationes matrimonii essentialia vires psychicas eorum in ordine executivo excedunt, ita ut ipsi actu voluntatis efficacis ad illarum adimplerem sese obstringere non valent.

Sub adpectu enim iuridico obligatio de praestatione impossibili ex ipsa rei natura non nascitur iuxta illud generale principium: «Impossibilium nulla obligatio est» (D.50.17.185), vel: «Nemo potest ad impossibile obligari» (Reg. 6, RJ. in VI°).

Quoniam igitur «voluntas eligens non est de impossibili» (S. Thomas, *In IV Sententiarum*, d. 25, p. 3, a. 1), consensu matrimonialis de obiecto formali impossibili vacuus et inefficax evadit, atque impedit quominus contrahentes sese mutuo tradere et accipere possint ad constituendum validum matrimonium (cf. can. 1057, § 2).

11. Sunt tamen qui censeant, sicut appellanti Iudices alterius instantiae, incapacitatem assumendi obligationes matrimonii essen-



tiales nuptias invalidare non solum cum sit absoluta, verum etiam cum sit tantum relativa.

Idque iidem deducunt ex analogia cum impedimento impotentiae, quae, ut notum est, sive absoluta sive relativa, matrimonium ex ipsa eius natura dirimit (can. 1084, § 1).

Ipsi enim pro certo habent « che i principali caratteri dell'impotenza dirimente possano applicarsi pure all'*incapacitas assumendi onera*. In particolare la possibilità dirimente vale non solo per l'incapacitas absoluta, ma pure per quella relativa » (276).

Sed praeterquam quod ipsa incapacitas consensualis vel psychica iam per se indolem relativam habet, cum in campo matrimoniali tantum applicari possit, tamen id genus opinio obliviscitur fundamentalis principii in iure canonico vigentis, quod penes applicatio analogica (cf. can. 19) prohibetur quoad leges, quae liberum iurium exercitium coarctant sicut, nostro in casu, ipsum ius ineundi matrimonium eiusque exercitium (can. 1058), cum tales leges strictae subsint interpretationi (can. 18; cf. coram infr. Ponente, decisio diei 16 decembris 1994, Reg. Aquitaniae, n. 10).

Prohibitio enim valet « de omnibus legibus, quae coarctant hominum liberatem (iuridicam) seu libertatem disponendi proprios actus secundum proprium iudicium, et conscientiam absque ulla restrictione ab extrinseco » (L. BENDER, *Legum ecclesiasticarum Interpretatio et suppletio*, Roma-Parigi-New York-Tournay, 1961, p. 197).

Praetermittendum tamen non est quod extensio relativitatis ad incapacitatem assumendi matrimonii onera, si valide admitteretur ut maior numerus matrimonium declarationem nullitatis consequeretur, consuleret quidem matrimoniis infaustis atque abruptis, sed restringeret naturale ius connubii iis omnibus, qui tali incompatibilitate relativa affecti essent (cf. can. 1058).

Hac enim de causa etiam « dans le doute on ne doit pas affirmer des nullités, puisque les nullités limitent radicalement les droits des fidèles » (F.J. URRUTIA, *Les normes générales*, Paris 1994, p. 46).

12. Extensioni analogicae legis de impotentia relativa (can. 1084, § 1) ad incapacitatem assumendi obligationes matrimonii essentielles ob causas naturae psychicae (can. 1095, n. 3) obstat quoque ipsa natura legum irritantium et inhabilitantium (cf. can. 10), quae nullitatem actus vel « agentis personam seu qualitatem aut circumstantiam ad eius capacitatem agendi requisitam » directe seu expresse respiciunt (G. MICHIELS, *Normae generales iuris canonici*, vol. I, Parisiis-Tornaci-Romae

1949<sup>2</sup>, pp. 320-321), etiamsi agatur de « conditionibus seu circumstantiis iure divino requisitis » (ibid., p. 322).

Hoc enim principium spectat ad « omnes leges quae ex iure divino naturali et positivo aliquem. actum invalidum reddunt » (l.c.).

Quapropter qualitatem relativitatis expresse agnitam praescripto legis de impotentia (can. 1084, § 1), ad casus analogos, sicut ad incapacitatem assumendi obligationes matrimoniales, extendere prohibemur.

Ceterum, si ope extensionis analogicae nota relativitatis ex impedimento impotentiae ad incapacitatem assumendi obligationes matrimoniales transferretur, admodum ampliarentur requisita eiusdem incapacitatis, quae, per consequentiam, graviter coarctarent naturale ius connubii quod christifidelibus competit (can. 1058). Etenim omnis lex, quae aliquem inhabilem vel incapacem facit « è una limitazione dei diritti della persona, perché la priva di una determinata capacità » (J. GARCÍA MARTÍN, *Le norme generali del Codex Iuris Canonici*, Roma 1995, p. 74).

13. Quin etiam, arbitraria amplificatio requisitorum incapacitatis non solum munus iudiciale evidenter transgreditur, sed etiam grave infert vulnus indissolubilitati ipsius matrimonii, quam Ecclesia proclamat.

Namque, ut docet Romanus Pontifex, « vi sono sintomi che mostrano la tendenza a contrapporre, senza possibilità di una sintesi armoniosa, gli aspetti personalistici a quelli più propriamente giuridici: così, da un lato, la concezione del matrimonio quale dono reciproco delle persone parrebbe dover legittimare una indefinita tendenza dottrinale e giurisprudenziale all'allargamento dei requisiti di capacità o maturità psicologica e di libertà e consapevolezza necessari per contrarlo validamente; dall'altro, proprio certe applicazioni di questa tendenza, facendo emergere gli equivoci in essa presenti, vengono giustamente percepite come contrastanti con il principio dell'indissolubilità, non meno fermamente ribadito dal Magistero » (*Allocutio ad Romanae Rotae Praelatos Auditores*, d. 27 ianuarii 1997, n. 2: AAS 89 [1997] p. 487).

Prae oculis igitur habendum est « che una fonte prioritaria per comprendere ed applicare rettamente il diritto matrimoniale canonico è lo stesso Magistero della Chiesa, al quale spetta l'interpretazione autentica della parola di Dio su questa realtà (cf. *Dei verbum*, n. 10), compresi i loro aspetti giuridici.

Le norme canoniche non sono che l'espressione giuridica di una realtà antropologica e teologica sottostante, ed a questa occorre rifarsi anche per evitare il rischio di interpretazioni di comodo» (ibid., n. 3, p. 487).

14. Affirmant quidem appellati Iudices secundi gradus quod «non c'è ragione infatti di ricondurre sempre la incapacità relativa a incompatibilità di carattere, negandole perciò forza canonica invalidante» (276, 5).

Sed incapacitas, quae dicitur relativa, aliter vocari nequit nisi quaedam incompatibilitas psychologica inter coniuges, diversitatis characteris seu indolis causa.

Ipsa enim, iuxta suos fautores, nullam gravem perturbationem personalitatis vel aliam gravem psychopathologiam praesupponit in contrahentibus tempore celebrationis matrimonii, nisi quandam oppositionem, vel maxime aliquam levem anomaliam, quae tamen, eorum iudicio, incapacitatem communem efformat et vinculum matrimoniale pathologicum efficit, ideoque invalidum (cf. coram infr. Ponente, decisio die 16 decembris 1994, cit., n. 10).

Attamen causa naturae psychicae (can. 1095, n. 3) verae ac realis incapacitatis, iuxta principia anthropologiae christianae, identificari debet cum processu pathologico uniuscuiusque seu contrahentis, cum severa specie anomaliae ex parte singuli contrahentis, ut iam supra dictum est (cf. n. 9).

Etenim, sicut Ioannes Paulus II monet Iudices ecclesiasticos, «le lievi psicopatologie o addirittura le deficienze di ordine morali» numquam considerari possunt «come prova di incapacità ad assumere gli obblighi essenziali della vita coniugale» (Allocutio, d. 5 febraurii 1987, n. 5, p. 1456), quia vera incapacitas «a realizzare una vera comunità di vita e di amore», quae matrimonium reddit nullum, «è ipotizzabile solo in presenza di una seria forma di anomalia» (ibid., n. 7, p. 1457).

Ceterum «sarebbe perciò fuorviante, nella trattazione delle cause matrimoniali, una concezione, per così dire, troppo "idealizzata" del rapporto tra i coniugi, che spingesse ad interpretare come autentica incapacità ad assumere gli oneri del matrimonio la normale fatica che si può registrare nel cammino della coppia verso la piena e reciproca integrazione sentimentale» (Allocutio, d. 27 ianuarii 1997, n. 4, p. 488).

II) *De exclusione boni prolis*. 15. Quodsi incapacitas psychica utriusque partis cum simulatione partiali, seu exclusione boni prolis,

ab alterutra parte commissa, in eodem processu matrimoniali cumuletur, ad modum procedendi quod spectat, prae oculis habenda est determinata species legalis incapacitatis, de qua in causa agitur.

Iurisprudencia sub vetere Codice elaborata, quae plerumque incapacitatem psychicam sub specie defectus discretionis iudicii seu amentiae tantum tractare consuevit, ex gravi morbo psychico exorientis, coexistentiam aequae principalem inter defectum discretionis iudicii et simulationem non admittebat, nisi subordinatam eorum tractationem ac definitionem, quatenus agebatur de capitibus inter se contradictoriis. Argumentum decretorium, pro subordinatione capitum in criterio usus rationis innitebatur, qui omnino necessarius habebatur ad ponendum actum vere humanum. Etenim « qui actum humanum ponere nequit, etiam facultatem simulandi amittit, nam caret libertate » (coram Bejan, decisio diei 14 martii 1964, RRDec., vol. LVI, p. 195, p. 6).

Pertractatio igitur aequae principalis haud acceptabilis videbatur, « cum matrimonium haud possit simul nullum esse ex amentia et ex exclusione boni prolis ex parte unius eiusdemque personae, quae eodem tempore fieret incapax eliciendi consensum et simul capax consensum restringendi seu limitandi, ut ius ad prolem non contineret » (coram Sabattani, decisio diei 24 martii 1961: RRDec., vol. LIII, p. 163, n. 9; cfr. coram infr. Ponente, decisio diei 11 martii 1980: RRDec., vol. LXXII, p. 170, n. 9).

16. Sed vigente nova lege matrimoniali, quae incapacitatem psychicam pressius determinat (can. 1095, nn. 1-3), sustineri potest non omnem speciem incapacitatis eliciendi consensum matrimonialem secumferre incapacitatem simulandi, nisi agatur de incapacitate ex defectu sufficientis usu rationis proveniente (can. 1095, n. 1), quae tantum personam reddit incapacem ponendi actum humanum, videlicet conscium et liberum. Qui enim sufficienti usu rationis caret, nec consensum valide manifestare potest (cf. can. 1104), neque positivo voluntatis actu matrimonium ipsum vel aliquam eius proprietatem essentialem aut aliquod elementum essenziale excludere valet (cf. can. 1101, § 2).

Attamen sive gravis defectus discretionis iudicii (can. 1095, n. 2), sive incapacitas assumendi essentialis matrimonii obligationes (can. 1095, n. 3), sufficientem usum rationis in subiecto plerumque praesupponunt, seu capacitatem ponendi actum humanum, ideoque haec capita etiam aequo principaliter cum simulatione pertractari ac

definiri possunt (cf. coram. Defilippi, decisio diei 27 iulii 1994: RRDec., vol. LXXXVI, p. 412, n. 2). Si autem quis quaerat utrum caput subordinate pertractatum revera definitum fuerit per sententiam ad normam iuris (cf. can. 1611, n. 1), perpendenda sunt motiva decisionis una cum pronuntiationibus Iudicum quoad caput subordinatum. Si enim iidem Iudices caput subordinatum tamquam non probatum expressis verbis habuerint, concludi potest saltem de implicita eiusdem capituli reiectione, non vero de mera abstinentia a iudicio ferendo.

17. Ad ordinationem matrimonii ad procreationem quod spectat (cf. can. 1055, § 1), iure docemur quod «fecunditas quoddam est donum, quidam matrimonii finis, quia amor coniugalis naturaliter ad id tendit ut fecundus sit, et “filius mutuo coniugum amoris extrinsece addendus non accedit; surgit in ipso corde huius mutui doni, cuius ipse fructus est et adimpletio» (*Catechismus Catholicae Ecclesiae*, Città del Vaticano 1997, n. 2366, p. 600).

Quare Ecclesia, quae «a vitae parte consistit» (Ioannes Paulus II, Adh. ap. *Familiaris consortio*, 30), docet «necessarium esse, ut quilibet matrimonii usus ad vitam humanam procreandam per se destinatus permaneat» (Paulus VI, Litt. enc. *Humanae vitae*, 11). Nam «huiusmodi doctrina, quae ab Ecclesiae Magisterio saepe exposita est, in nexu indissolubili nititur, a Deo statuto, quem homini sua sponte infringere non licet, inter significationem unitatis et significationem procreationis, quae ambae in actu coniugali insunt» (ibid., 12).

Coniuges igitur «ad vitam dandam vocati, potentiam creatricem et paternitatem participant Dei (cf. Eph 3, 14-15; Mt 23,9)», et «in officio humanam vitam transmittendi atque educandi, quod tamquam propria eorum missio considerandum est», sciunt «se cooperatorum esse amoris Dei Eiusque veluti interpretes», ex quo «humana et christiana responsabilitate suum munus adimplebunt» (Conc. Vat. II, Const. past. *Gaudium et spes*, 50; *Catechismus*, n. 2367, pp. 600-601).

18. Quid vero dici potest, si sponsi in nuptiis ineundis, propter anxietatem erga novae vitae transmissionem, vel aliis de causis, in exercendo iure ad actus amoris coniugalis prolem nascituram avertere statuunt ad tempus determinatum, servata immo facultate seiungendi proprio arbitrio rationem unitatis actuum coniugalium a ratione procreationis? Exsecutio enim talis propositi eorum vires

non excedit, secus ac conatus, v.g., mutationis indolis naturalis instituti matrimonialius ad procreationem, quam directe perficere non possunt, nisi repudiando ipsum consortium matrimoniale ordinatum ad prolem (cf. can. 1096, § 1; coram infr. Ponente, decisio diei 7 martii 1991 RRDec., vol. LXXXIII, p. 149, n. 4).

Sed in temporanea procreationis exclusionem semper explorari debet, utrum prolis ad tempus dilatio ipsum ius coniugale limitaverit, saltem ad tempus, an potius integrum ius traditum et acceptatum a recto usu tantum deflexerit per eius temporarium abusum. Recusatio enim integri iuris vel officii ad actus coniugales per se aptos ad prolis generationem, ad quos natura sua ordinatur matrimonium, et quo coniuges fiunt una caro (can. 1061, § 1), seu perpetui ratione perpetuitatis vinculi matrimonialis (can. 1134), consensum matrimonialem ingreditur eumque limitat atque irritum reddit. Hoc tamen non efficit detrectatio simplicis exercitii huius iuris ac officii, quod in merum abusum tantum se effundit atque validitatem consensus non tangit.

19. Infitiandum non est quin temporanea procreationis exclusio consensum matrimonialem ingredi possit, eumque limitare, si consensui adponatur tamquam vera condicio, sicut olim celebri epistula decretali cautum est, id est «*contraho tecum, si generationem prolis evites*», quia tunc «*matrimonialis contractus, quantumcunque sit favorabilis, caret effectu*» (Gregorius IX; c. 7, X, IV, 5). Idque eo vel magis tenet, quia in praesentiarum matrimonium sub condicione de futuro valide contrahi nequit (cf. can. 1102, § 1).

Ab hac tamen facti specie essentialiter distinguenda est intentio contrahentis procrastinandi generationem prolis ad tempus futurum, ut sibi et prolis nasciturae meliores condiciones praeparare possit, praesertim si matrimonium celebrare statuit, studiis nondum confectis, vel stabilitate oeconomica nondum adepta. Tum sane dici nequit de iure vel officio ad actus coniugales condionate tantum tradito vel acceptato in actu celebrationis nuptiarum, seu de positiva voluntate aliter non contrahendi, nisi prolis generatione ad tempus exclusa.

Commutatis verbis, prolis temporanea exclusio, seu procrastinatio procreationis ad tempus magis propitium, consensum matrimonialem per se ac directe non inficit, quia fundat dumtaxat praesumptionem de usu iuris ad actus per se aptos ad prolis generationem denegato cum proposito illo abutendi, nec ideo limitationem iuris co-

niugalis constituit (cf. coram infr. Ponente, decisio diei 24 martii 1988: RRDec., vol. LXXX, pp. 186-187, n. 6).

20. Cum ex iuris praesumptione internus animi consensus conformis habeatur verbis vel signis in celebrato matrimonio adhibitis (cf. can. 1101, § 1), qui in processu de nullitate sui matrimonii contrarium propugnat, ad normam iuris probare tenetur se positivo voluntatis actu exclusisse e consensu matrimoniali essenziale aliquod matrimonii bonum, veluti prolis, iuxta illud: «onus probandi incumbit ei qui asserit» (can. 1526, § 1).

Lex enim ecclesialis, dum positivum voluntatis actum requirit (cf. can. 1101, § 2), essentialem exigentiam omni exclusioni imponit, sine qua matrimonii nullitas declarari nequit.

Sed ad moralem certitudinem assequendam de exclusionem efficaciter patrata (cf. can. 1608, § 1), non sufficit simulantis iudicialis confessio, cui in causis boni nequit, nisi alia accedant elementa, quae eam omnino corroborent (cf. can. 1536, § 2).

Agitur sane de aliis elementis probatoriis (cf. can. 1572, n. 4), sicut de simulationis causa proxima et remota atque de circumstantiis, quae assertam exclusionem corroborare valent, non vero de aliis elementis, ad probationem haud pertinentibus, sicut quidem contendunt.

Insuper, nisi probationes aliunde plenae habeantur, ad partium depositiones ad normam can. 1536 aestimandas, etiam testes de partium credibilitate adhiberi possunt, praeter alia adiuncta et adminicula (can. 1679). Quodsi tamen dubium remaneat, standum est pro valore matrimonii quod favore iuris gaudet (can. 1060).

IN FACTO. — I) *De partium incapacitate psychica*. 21. Quamvis Patronus actoris in phasi discussoria huius processus expresse desierit capita concordata, hoc est gravem defectum discretionis iudicii et incapacitatem assumendi essentielles matrimonii obligationes in utraque parte, cum candide sic scriptis: «post peritiam negativam ex officio H.A.T., primum caput tractare nequimus», nihilominus tamen, attento defectu formalis renuntiationis ad normam iuris exhibitae (cf. cann. 1524-1525), saltem modo generali agendum est de memoratis capitibus nullitatis, quia omnis sententia singulis dubiis concordatis congruam responsionem dare debet (can. 1611, n. 1).

Hac sane in re, perpensis actis causae hucusque collectis, assentiendum est aestimationi probationem a sententia alterius gradus fac-

tae, quod nempe Iudices primae instantiae « avessero dato un valore sproporzionato alle perizie d'ufficio che, almeno per quanto riguardava la capacità dell'uomo, non erano risultate concordanti; ma anche lo fossero state, non rilevano un procedimento logico nei risultati » (288).

Iamvero primus peritus in primo iudicii gradu electus, doctor David E., declaravit quod actor « aveva raggiunto quell'equilibrio e quella maturità propria dell'età », dum pars conventa « presentava una evidente immaturità affettiva » (110,2). E contra, alter peritus, doctor Franciscus R. actori tribuit « una ipotrofia dello sviluppo emotivo » (156,2), immo, « il disturbo della personalità » (156,3), dum relate ad partem conventam ipse remissionem fecit « alle conclusioni del dottor Davide E. » (157,1).

22. Sed conclusiones peritorum, sicut ex relationibus facile deduci potest, campum canonicum ingressae sunt atque cathedrias canonicas usurpaverunt in definienda partium capacitate vel incapacitate consensuali.

Dum enim primus peritus in terminis canonicis disposuit de validitate consensus matrimonialis ex parte actoris ac de eius capacitate assumendi obligationes matrimonii essentialis, quatenus is « fosse in grado di dare un valido consenso matrimoniale e di assumersi gli obblighi connessi al matrimonio stesso » (110,3), et de incapacitate tantum partis conventae « a realizzare quella relazione interpersonale cristianamente intesa che comporta anche la capacità di assumersi obblighi e responsabilità tipiche del matrimonio cristianamente inteso » (109), alter peritus statuit de incapacitate consensuali utriusque partis, quia ambo « erano incapaci di dare un valido consenso matrimoniale », potissimum vero « di valutare la natura interpersonale del matrimonio », et « di assumere gli obblighi essenziali del matrimonio: intima comunanza di vita, perpetua e esclusiva, procreazione ed educazione della prole » (120-121,3).

Praetera etiam appellati Iudices secundae instantiae merito animadverterunt « che i due periti si erano serviti di criteri non sufficientemente chiari e univoci tanto da arrivare, almeno per quanto ateneva all'uomo (che pur si era sottoposto al colloquio psichiatrico), a conclusioni opposte » (288).

23. Re quidem vera, periti in suis relationibus criterium psychologicum plenae maturitatis et plenae libertatis humanae adhibuerunt, quod tamen in campum canonicum transferre nefas est absque



aestimatione canonica in luce anthropologiae christianae et Magisterii Pontificii.

Periti enim, sicut appellati Iudices merito notaverunt, «sembrano ancorarsi al criterio della piena maturità, ovvero della scelta pienamente informata e libera dei contraenti, mentre dal punto di vista canonistico si deve giudicare se, nel caso concreto, nonostante una certa immaturità, fossero presenti gli elementi necessari e sufficienti perché un consenso matrimoniale risulti idoneo a produrre il vincolo coniugale nel caso in esame».

Sed tamen, hac in causa, «gli elementi a sostegno di una grave immaturità dei contraenti apparivano ben pochi e quelli presenti non del tutto probanti» (289).

Idque verum apparet, quia in causae huius instructione a nemine adducta sunt facta quae probare possent agendi rationem actoris vel partis conventae haud conformem necessariae ac sufficienti discretioni iudicii vel capacitati sese obligandi ad ferenda essentialia matrimonii onera.

Nam sicut appellati Iudices concise notaverunt: «sia l'attore che la convenuta avevano dichiarato candidamente di avere sempre goduto buona salute psichica, di non essere mai andati soggetti a fenomeni di depressione o di scempenso psichico, anzi di avere tenuto costantemente buoni rapporti sociali e di avere raggiunto nel campo della professione scientifica e didattica buoni risultati» (287).

24. Peritus autem in altero iudicii gradu electus, doctor Entius V., examine psychologico super persona actoris peracto, quod dicitur «Test di Rorschach», repperit in eo non solum «l'intelligenza nella media con tendenza all'astratto piuttosto che al concreto» (238), sed etiam «un miscuglio di aspetti nevrotici e pulsioni rimaste immature», et quod «è scarsamente capace di relazionarsi con gli altri in modo oggettuale» (254).

Quamquam iuxta opinionem huius periti actor tempore nuptiarum «si trovava sotto l'influsso di circostanze psicologiche del suo sviluppo affettivo che condizionavano la sua personalità e che gli impedivano una scelta responsabile, anche in ordine all'assunzione degli obblighi della vita matrimoniale» (261,4), quia in eius personalitate «emergono aspetti di immaturità e difese razionali» (262), tamen nihilosecius, deficiente gravi forma psychopathologiae tempore nuptiarum, ex hisce assertionibus concludi nequit de eiusdem viri incapacitate discretiva vel sese obligandi tempore nuptiarum.

Quare sufficienter fundata apparet assertio appellatorum Iudicum de actoris capacitate consensuali. Nam «gli atti di causa mostrano che l'attore ha avuto delle difficoltà relazionali con l'altro sesso, ma non in forma così grave da non avere una sufficiente discrezione di giudizio e una sufficiente maturità affettiva. I fatti di causa poi escludono cause patologiche gravi che renderebbero il S. incapace di assumere gli obblighi coniugali» (291-292).

25. Sed tamen ex commemorata a primo perito, doctore Davide E., «immaturità affettiva di B. Marina» (110), absque indicatione eius gravitatis, deduci nequit in campo canonico existentia gravis defectus discretionis iudicii vel incapacitatis assumendi essentialis matrimonii obligationes pro tempore celebrationis nuptiarum cum viro actore.

Idemque dicendum de altero perito, doctore Francisco R., qui sese remisit ad conclusiones praecedentis periti, licet amplificacionem fecerit locutus nempe de «una grave immaturità affettiva accanto ad un buono sviluppo intellettivo» (157,2).

Tertius enim peritus, doctor Entius V., limitationem libertatis in muliere conventa tempore nuptiarum tribuit influxui circumstantiarum (264,4) tantum, non vero psychopathologiae. Immo, iuxta assertionem huius periti, «lei sarebbe stata in grado, come maturità affettiva, di potersi assumere gli obblighi matrimoniali ma avrebbe pagato un prezzo altissimo, l'impegno sarebbe diventato un vero sacrificio di sé» (265,4).

Haec tamen affirmatio periti pariter extra limites gravis immaturitatis affectivae ponenda est, si attendamus ad sequentia eius verba: «Non concordo con le conclusioni del dott. E. quando definisce la sig.ra B. una donna immatura; ugualmente non concordo con il dott. R. quando dice che la perizianda è affetta da una grave immaturità affettiva» (265,6).

